



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus II. Observatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

tute liberi fuerunt, ac Dominum suum sunt veriti; fuit penes eos virginitas; quæ majori ipsis erat ornamento, quam sit diadema regibus, aut aurea vestimenta. Postea verò quam captivi fuerunt, & regiam ipsam exuerunt stolam; - tunc unà successit connubium, mortale hoc, ac servile vestimentum. S. Chrysost. lib. de virginit.

*Non audierunt eum. & scaterere cepit ver-
mibus, atque computruit.* Ex. 16. 20. Sola est inobedientia author mannae in vermes degenerantis, & odoris istius graviter spirantis. S. Antiochus Abb. hom. 38.

*Non introducetis hos populos in terram,
quam dabo eis.* Num. 20. 12. Quia Moyses bis filicem percussit; cum juberetur solum loqui ad petram. v. 8. 11. Did. Nisl. f. 3. D. 2. Quadr. §. 3.

*Nequaquam regnum tuum ultra confur-
get.* 1. Reg. 13. 14. Cur Sauli inobedienti non alia poena, quam privatio regni infligitur? ratio est: qui parere nescit, indignus est imperio. Sic inobedientes in Scriptura saepe regis nomine privantur. Nam Abigail de Saule locuta. 1. Reg. 25. 29. *Si surrexerit aliquando homo persequens te.* Et. 2. Paral. 26. 18. Sacerdos Azarias sic alloquitur Oziam divinæ legis contemptorem: *non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino.* S. Ambros. f. 10. in Pf. 118. 73. ad illa verba: *manus tue Domine, fecerunt me*, locutus de homine, quem Deus rerum omnium constituit, ait: sed ut possit imperare, debet Deo esse subiectus. Mendoza in 1. Reg. 13. 13.

Iratuque est indignatione Dominus contra Oziam, & percussit eum super temerita-

te. 2. Reg. 6. 7. Dum sustinebat arcam extinctus est Oza ille Dei Levites: non quia, ut videtur, ad speciem contumaci aliquid mente commiserit; sed ipsò officio inofficiosus fuit, qui injussa præsumpsit. Salvianus Ep. l. 5. de provid.

Inobedientia est causa mortis: omnes experimur, omnes morimur, propter eam. S. Bernardus f. 2. de obedientia &c.

Num. 2.

Alia motiva inobedientiam vitandi.

Sultis egisti. 1. Reg. 13. 13. Cum omnia peccata stultitiæ notam mereantur; nullum majori jure, quam peccatum inobedientiæ: qui enim suò potius judicio ducitur, quam divinò; dum prudentiæ laudem meruisse putat, stultitiæ notam gravissimam incurrit. Mendoza hic.

Dederunt in escam meam sel. Pf. 68. 22. Qui cum murmure obediunt, felle Dominum pascunt: cibus enim Christi est obedientia opere impleta. Unde Joan. 4. 34. *meus cibus est &c.* Porus autem ejus est obedientia cordis, quam Dominus profectò sitit. Feligitur Christo in escam datur, cum sit murmuratio oris: acetum quoque ei ministratur in potum, cum sit murmuratio cordis. S. Bernardus f. de obed. Evangelica.

Si ea, quæ tibi præcipiuntur, dura sunt; nunquid murmurando illa facere poteris meliora? S. Cæsarius hom. 18.

Sicut membra judicantur paralytica, quæ non moventur ad imperium capitis; sic perversus est religiosus subditus, qui non sentit motum, & imperium, P. Spiritualis. V. Bonaventura dicit sal. c. 20. de religione.

TITULUS II. OBSERVATIO.

§. I.

Observa tua, non aliena.

Peccatum meum contra me est semper. Pf. 50. 5. S. Ambros. hic: sapiens adversum se judicat esse delictum suum, & tanquam hostiles acies ita lapsus culparum suarum, adversantium modò, sibi arbitratur obistere. Quidquid dictum, aut lectum; in se dictum putat. q. d. de alienis peccatis nec minima mihi cura est; propria semper ob oculos versantur. Pinna in Eccl. 1. Ethol. 9. S. Gregor. in Pf. pœnit. hic. non posui supra dorsum, quod feci; non intueor alios, oblitus mei: non affecto de oculo fratris festucam ejicere, & trabem, quæ in oculo meo est, non considerare. Matth. 7. 4. apud Pinnam in Eccl. 6. Ethol. 69.

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Thren. 3. 1.

Domine non sum dignus. Matth. 8. 8. S. August. f. 6. de Verb. D. dicendo se indignum, præstitit dignum; non ut in ejus parietes, sed ut in ejus cor Christus intraret. Non ait, servus meus non est dignus, vel domus mea: de sua solum indignitate meminit. O quam necessaria

Polyanth. Sacra, Tom. II.

ria hæc indoles hujus sæculi hominibus; ut solum suam, non alienam, inbecillitatem respiciant. Sciebat Centurio, quòd Christus ingrederetur Publicanorum, & Phariseorum, domos; tamen suam domum dicit indignam: nam justus non alienos, sed proprios, defectus considerat. Sicut & ipse, cum multò esset præstantior Senioribus Judæorum, eos misit ad Christum; se indignum ad eum veniendi testatur. Luc. 7. 6. Sylveira in Matth. 8. 8.

Nunquid ego sum Domine? Matth. 26. 22. Non quærunt, quis est iste Domine? Vident, Christum illius nomen tacere, ideo nolunt scire ultra, quàm id, quod Magister manifestat: sed quisque pro quiete suæ conscientie affectat Domini judicio se immunem pronuntiare. Paulus dicit: *attende tibi;* & non aliis. Sylveira hic q. 6.

Custodientes vigilas noctis super gregem suum. Luc. 2. 8. Non alienum, de quo non requiritur ratio. Hugo C. hic.

Hic si esset Propheta; sciret utique - quia peccatrix est. Luc. 7. 39. Cur Magdalena non fecit similem discursum? hic si esset Propheta, sciret utique, quis, & qualis esset Phariseus? Cc Quia

Quia convertit oculos ad propria crimina; Phariseus verò ad aliena: qualis est mulier, quia peccatrix est. Qui oculos conjicit ad propria peccata, in lacrymas solvitur; qui verò in aliena, in detractones declinat. Sylveira hîc q. 20.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16. 2. Non alienæ. Pinna in Eccl. Ethol. 136.

Cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe fragilitas propria, mala nobis excusât aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. S. Gregor. l. 5. mor. c. 30.

De nullo queri possum alio, què de me: ego mihi irascor; & ego à me pœnas exigam. Seneca de benefic. l. 15. c. 15.

§. II.

Observare aliena, non sua, vitiosum est.

Ex Veteri.

Scrutanturque omne tentorium &c. Gen. 31. 34. Laban, qui omnia scrutatur, ut deos suos inveniat, detractor est, juxta Rupertum l. de Trinit. c. 46. qui intentis oculis alienam vitam rimatur: cupitque vitia apud alios invenire, quibus ipse scater. Nam optimam excusationem vitis suis obtendere putat; si alios, eisdem infectos, comperit. Pinna in Eccl. Ethol. 136.

Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris. 1. Reg. 14. 44. Gravius ille ipse deliquit contra mandatum Dei. 1. Reg. 15. 9. Scrupulosè punire vult transgressionem alienam; in graviore nullum habeas conscientia remorsum. Sylveira c. 3. in Matth. 12.

Famem patientur ut canes; & circuibunt civitatem. Pl. 58. 7. Gilbertus l. 5. in Cant. tales sunt multi, qui omnes persequuntur professiones; & in illis nulla inveniunt, quæ illos trahant; sed multa, quibus ipsis detrahant, calumniantur: quod in aliis distractio sit nimia, in aliis minima. Quod ingenium à diabolo haustum puto Job. 1. 7. *circuii terram, & perambulavi eam.* Hanc peregrinationem suscepit diabolus; ut, quæ quisque gereret, oculis suis pervideret. Sylveira addit. in Matth. 15. 9. 2.

Viri ergo illi curiosius inquirentes, invenerunt Daniele orantem &c. Dan. 6. 11. Ecce populorum Magistri, quas quæstiones instituant, quæ judicia agant. An mercatorum fraudes, & latrocinia? de his nec verbum faciunt; unam solam Danielis orationis traducunt; hanc regi deferunt. Baeza t. 2. l. 10. c. 8. §. 1.

Ex Novo.

Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbathis. Matth. 12. 2. Athanasius hom. de semine: atqui illi, qui esum in Sabbatho pro crimine obijciunt, ipsi eadem in Dominum ipsò Sabbatho moluntur.

Si licet Sabbathis curare? Matt. 12. 10.

Patentissima est malitia Judæorum; quod infidias, & laqueos parant, Christo, studiò beneficentia plenò. Hinc enim sese prodit, & infamat, cujusque Zelus; si beneficentia opera mordeat. Quam amari Zeli sermones illi, qui perditissimos Reip. mores, scelera, gaudia, vix tangunt; & religiosorum hominum instituta, studia, virtutis opera, cavillant. Baeza antè citatus.

Transgrediuntur traditionem seniorum. Matth. 15. 2. Qui talpæ sunt ad propria peccata, linceas ad aliena, familiari dæmonum vitio delinquant. Did. Niss. f. 4. D. 3. Quad. §. 2.

Quid ad nos: tu videris. Matth. 27. 4. Nihil in se miseri agnoscunt mali; in emptorem transmittentes reatum. Baeza t. 2. l. 7. c. 4.

Dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum; & non potuerunt. Marci. 9. 17. Discipulorum impotentia succenset homo hîc; nil memorans de infidelitate sua Baeza t. 2. l. 7. c. 4. de puero lunatico.

Gratias tibi ago; quia non sum sicut ceteri hominum &c. Luc. 18. 11. Sic Phariseus in templo orans, suorum criminum negligens Publicani pectus lustrabat. Oliva t. 2. Strom. §. 384. in meditatione mea &c. ubi, ait: emicat in meditatione flamma: sed si meditatio tua sit, hoc est, si tibi attenderis in meditatione, vulnereque tua curâris. *Concaluit cor meum intra me.* Aliquorum cor, cum meditatur, nè in confinio quidem sui manet, sed cæterorum centrum pervadit, cumque sua negligat vulnera, alienas pustulas scrutatur in alieno, non dico, vultu, qui patet; sed cordi, quod Deus voluit invium esse, & inscrutabili. Id. Oliva ibid.

§. III.

Motiva non observandi alios.

Super pectus tuum gradiaris, & terram comedes. Gen. 3. 14. Serpens maledictus est inter omnia animantia, & bestias terræ. Et cur præ cæteris maledictus? subdit causam: *super pectus &c.* Eucherius in Catena Lipom: terram comedere omnibus diebus vitæ suæ, tertium tentationis genus figuratur; quod est curiositas: qui enim terram manducat, profunda & tenebrosa, penetrat. Naxera in Jos. 2. §. 17.

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. Ex. 8. 3. & 8. Sciniphum ardentis morsus sustinet. Ex. 8. 17. &c. cut clamores non fert ranarum? Rupertus in Ex. c. 32. ranæ permolestæ fuerunt, ascendentes, & ingredientes, domum regis, & cubiculum lecti ejus, & superstratum ejus, & in fumos ejus, & in reliquias ciborum ejus. Odiosum Pharaoni animal, se importunè insinuans, ut omnia videat. Id. ib.

Misit Josue duos viros exploratores &c. Jos. 2. 1. Terram ingressi ab indigenis notantur. Aliorum facta curiosè explorans, aliorum oculos sustinebit. Naxera in Jos. 2. §. 16.

Quis est David? & quis est filius Isai? 1. Reg. 25. 10. Quarit Nabal. Nabal Hebr. stultus. David genere erat regio, vir fortis, gigantis fortissimi victor, virtutibus præstans. Nihil horum memorat Nabal, sed fugitivum servum vocat. Barradius tom. 2. l. 2. c. mor. 4. virtutibus præstans.

virtutis, & mentis, inops sui oblitus de alio quarit, tu quis es? aliorum vicia carpit.

Ipsē cepit egere. Luc. 15. 14. Juxta S. Ambros. l. 7. in Luc. egere, est curam sui negligere, non habere proprium virtutum alimentum. Talis cupit implere ventrem de filiquis, rodens aliorum famam; cum pane possit alii filiorum Dei. Pinna in Eccl. 11. Ethol. 136.

Quid ad te; tu me sequere. Joan. 21. 22. His verbis nos erudiens; neque dolendum, neque curiosius, præter divinam voluntatem; investigandum. S. Chrysost. hom. 87. in Joan.

§. IV.

Observet, qui potest corrigere.

Unde venis? & quid vadis? Gen. 16. 8. Lyran: non quarit Angelus ex ignorantia; sed ut ex responsione Agar efficacius eam corrigat.

Qui sunt hi sermones? Luc. 24. 17. Commune est documentum: quod in aliorum opera, & sermones, non sit inquirendum. Cur ergo quarit hic Dominus de Discipulorum sermonibus? Qui valet remedium adferre, æquum est, ut inquirat; secus, qui non potest. Sylveira hic.

§. V.

Observa bona in aliis, & non mala.

Symbola.

Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Matth. 6. 28. Considerare debemus lilia, non lolia; agri: hoc est, laudabilia, non vituperabilia, opera proximi. S. Bonavent. in Pf. 118.

Simile est regnum celorum homini negotiati quarenti bonas margaritas. Matth. 13. 45. Sunt multe falsæ, & imperfectæ margaritæ. S. Chrysost. l. 47. hic negotiationem loquitur providentem ornamenta virtutum; non incitamenta vitiarum. Bæza t. 3. l. 14. c. 2. §. 6.

Exempla.

Joseph recordatus est somniorum, quæ aliquando viderat. Gen. 42. 9. Olearter: non dicit eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum.

Ergone Jonathan morietur? Eccl. 1. Reg. 14. 45. S. Gregor. l. 5. c. 4. in Reg. 14. in Electorum examine, non solum culparum causæ pensandæ sunt, sed etiam merita personarum; quod aperte his verbis ostenditur: quia non ideo Jonathan non moriturus asseritur, quia erat filius regis; sed quia in Israel magnam salutem fecit. Cum ergo magni viri cadunt, communi iudicio tradendi non sunt: quia priora opera promerentur, ut posteriorum gravitas levigetur; ipsa autem culpæ levigatio non acceptatione personarum decernenda est; sed aspectu prioris vitæ. Oliva t. 3. conc. 20. die Ven. 6. in Quadr.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. Matth. 4. 5. Dicitur civitas sancta, quia ibi erat templum, & cultus Dei. Et licet ab Is. 1. 21. civitas meretrix vocetur, tamen postea dicitur. n. 26. vocaberis civitas iusti, urbs fidelis. Et Evangelista considera-

Polyanth. Sacra. Tom. II.

vit Sanctitatem loci; & non peccata illius. Sylveira hic.

Vos autem quem me esse dicitis? Matth. 16. 15. Hieron: Apostoli nequaquam homines, sed dii appellantur. Cum enim dixisset: quem dicunt homines esse filium hominis? subiecit: vos autem &c. Pulchre interrogat, quem dicunt homines &c. quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt: qui verò divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed dii appellantur. Ut Christi divinitatem agnoscant, eamque loquantur, hominum exuunt naturam: nam homines ignorant præclara; cum norint semper obscura. Naxera in Jof. 2. §. 29.

Nudaverunt tectum &c. Marci. 2. 4. Proximi virtutes pondera, & amplia; in defectibus cœcuti, & tace. Vide pulchrum charitatis facinus: ægrum ex aperto tecto dimissum Christo præsentant. Sed quantâ præsentium molestiâ? Non poterat tectum nudari tegulis sine metu, & molestiâ eorum, qui in domo erant: cogebantur enim pulverem, lapillos deciduos, & lignorum particulas, excipere. Hanc tamen factam molestiam tacent Evangelistæ, & multi sunt in charitatis opere explicando. Bæza t. 2. l. 9. c. 1.

Et nuntiaverunt dicentes: quia filius ejus viveret. Joan. 4. 51. Cum frater ægrotat, nemo morbum non indicat, cum verò revalescit, silent omnes. Utinam, quàm multi sunt, qui ægrum annuntiant, ita & pauci sint, qui sanitati redditum commendunt. Si forte è Clero unus fornicetur; qui clamores excitantur! si plures è Clero jejurent, nemo laudat. Oliva l. 9. Strom. §. Erat quidam regulas.

Vide manus meas &c. Joan. 20. 27. Ob incredulitatem Christus Thomam non abiecit, non amicitia privavit; sed mirâ pietate secutus est fugientem; suaviter allocutus, pectus aperuit, latus tractandum præbuit. Cui Deus cum pertinaci tantopere se demittit? Habuit rationem præteritorum, quæ bene egerat. Joan. 11. 16. *camus & nos, ut moriamur cum eo?* Ob unum delictum non sperne, nec expelle, bene meritos; aut de quibus spes emendationis, ut ex Zizaniis fiant triticum. Oliva t. 1. conc. 26. in festo S. Thom.

Quæris, ubi Abel, ubi Enoch, ubi Jesus Nave, ubi Elifaus, peccaverint? Non est necesse nodum in scirpo quarere: utinam possem manifesta reticere peccata! S. Hieron. lib. 2. contra Pelag.

Bona eligamus vitæque contraria. Non enim propter doctrinam ejus parva suscipienda sunt dogmata; nec propter dogmatum pravitatem, si quos commentarios in Scripturas Sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt. S. Hieron. ep. 26. ad Tranquillinum de libris Origenis. Idem ait de libris Tertulliani.

Memini me dixisse, quàm sublimi aliquando meditatione Monachus quidam Laicus totò intendit spatio vigiliarum. Etenim summò manè apprehensum me in auditorium trahit; & prostratus pedibus: vae mihi, inquit, quia Monachum in vigiliis unum consideravi, in quo triginta virtutes numeravi; quarum nè

Cc 2

unam

unam quidem in me invenio. Et fortasse nullam ille tantam habebat, quanta hæc ipsa erat, religiosæ emulationis humilitas. S. Bernardus f. 1. exhortatorio ad Fratres ne altitudine & lassitudine cordis.

Ego nec culpâ careo; nec amicos, qui culpâ careant, quæro: nec enim nanciscar. Verùm eos, qui plurimas virtutes habent, pauca autem vitia, in amicorum album adscribo. Nam qui ob exiguum vitium, maximam etiam virtutem parvipendunt; nec res humanas considerant; nec Paulo morem gerunt ad monenti: *alter alterius onera portate*. Oliva. t. 2. c. 24. die S. Thomæ Ap.

§. VI.

Observantes mala, & non bona, in aliis.

Symbola.

Exploratores estis; ut videatis infirmiora terræ, venistis. Gen. 42. 9. Exploratorum hoc est, ut in civitate quapiam, si fortè hiat murus, si non satis firmæ turres, quæque facilis sit in eam aditus, observent. Hoc die obrectatoribus: exploratores estis: speculatores communium miseriarum estis. Ad quid enim venitis, cum vitam, moresque aliorum, indagatis? non ut videatis, quæ apud illos præclara; sed ut in firma vituperetis. Did. Niss. f. 3. D. 4. Quadr. §. 2. maledicus semper lynx est ad ea, quæ vituperare cupit, tulpæ ad ea, quæ laudare.

Percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus. Daniel. 2. 34. non aurum, argentum.

Super lapidem unum septem oculi sunt. Zachar. 3. 9. id est plurimi. Volunt scilicet explorare, quid in gemma sit vitii. Lapillus est perpolitus affabrè. In lapillo vir bonus, ait Hugo. 3. Reg. 1. 20. *in te oculi respiciunt totius Israël.* Velloso in Judith 5. Paræn. 7.

Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Joan. 7. 15. S. Basiliius hom. de invidia: muscæ, sanis corporis paribus neglectis, ad ulcera contendunt: vitæ splendorem, rectæque factorum pulchritudinem, nec aspiciunt quidem, ad marcidam verò mirandum in modum feruntur.

Sol spectatorem, nisi cum defecit, non habet: nemo observat lunam, nisi laborantem. Seneca l. 7. quæst. c. 1. Oculati sumus ad aliorum defectus, ad virtutes cæci; ad honesta talpæ, ad errata Prophetæ. Naxera in Jos. 2. §. 29.

Exempla.

Introduxit me Rex &c. Cant. 1. 3. Sed eò se oculi alieni ingerunt; ut inspiciant, quid virgo faciat. Neque enim temerè illa queritur v. 5. *nolite me considerare, quòd fusca sim.* Nec id Bernardus miratur f. 24. in Cant. cum ubique pœnè in choro adolescentularum inveniam, quæ acta sponsæ curiosè observent; detrahendi, non imitandi causâ. Velloso in Judith Paræn. 7.

Nolite me considerare, quòd fusca sim. Cant. 1. 5. Sed considerate etiam, quia formosa sum: nolite aspicere idololatriæ præcedentis nigredinem; inspicite magis succedentis fi-

dei eximium decorem. S. Thom. Vill. f. 2. de Nat. D.

Vidi Dominum super solum excelsum. If. 6. 1. *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus.* If. 53. 2. Dei gloriam unicus vidit, isq; spiritu propheticò illustratus: patibularum plures, & referentem speciem solum peccatoris. S. Bernardus f. 1. de verb. If. audio prophetæ ejusdem, & ejusdem Domini longè dissimilem visionem. Siquidem Isaias iste est, qui in alio loco sic loquitur: *vidimus eum tanquam leprosum.* Ubi illud primum considerandum est, quòd communis illa; hæc prophetiæ prærogativæ propria videtur. Quidquid obscurat famam, omnes curiosè investigant, & tenaciter recordantur: verùm quòd gloriam auget; aut oscitanter legunt, aut affectanter ignorant, aut studiosè obliviscuntur. Naxera in Jos. 2. §. 29.

Postea esurivit; & accedens tentator. Matth. 4. 2. 3. Notat Hugo Card. nexum verborum. Prius jejunavit quadraginta diebus, quòd vim divinam ostendit, & quasi ignorans diabolus silet, nec se prodit. Postea esurivit, quòd infirmitatis est; & tum caput exerit, garrat, & congregitur. Sic detractor laude digna silet, fragilitatis errores pandit. Pinna in Eccl. 11. Ethol. 136.

Hi novissimi unâ horâ fecerunt. Matth. 20. 12. Solum attendunt ad vituperium; non recordantur, quòd absque pactione laborem susceperint. Secundò, quòd unâ bonâ tantum fecerunt, quantum alii totâ die: quòd constanter totâ die conductorem in foro expectârint. Obrectator, non semper spectat virtutes, sed defectus. Sylveira hic q. 15.

Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier. Luc. 7. 39. Non, quòd fuit penitens, sed quòd est, oportet attendere. Peccavit quis, impiorum judicio semper erit peccator. O impia censura! quasi nullam haberet vim penitentia peccata abstergendi. de Castillo Illat. 174.

Videns autem Phariseus. ib. Ecce Pharisæus veraciter apud se superbus, & fallaciter justus, agrum reprehendit de ægritudine, & medicum de subventionem. S. Gregor. hom. 33. in Evang. In malignis oculis nil purum est à detractatione liberum: videt tot præclara penitentia signa; & adhuc peccatricem reputat. Sylveira hic.

Hic peccatores recipit. Luc. 15. 2. Phariseus, non quales venerant, sed quales redibant, videre debuit peccatores. Certè Paulum, quem persecutorem miserant, prædicatorem videant mox rediisse. S. Chrysost. 168. Ubi mala sunt, quæ ostendere possint, & bona, quæ demereri; ibi consideranda bona, mala obliteranda. Did. Niss. D. 3. Pent. §. 3.

Postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam &c. Luc. 15. 30. Videt in fratre suo non conversionem, non humilitatem, fac me sicut unum de mercenariis; sed tantum luxuriam, & dissipationem bonorum. Concitatus erat animus odiò, & in vidiâ. Sylveira in Matth. 4. q. 30.

Inter-

Interrogaverunt eum: quis est ille homo, qui dixit, tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 12. Duo paralyticus dixerat: *qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum.* Illi verò non quarunt, quis est ille homo, qui morbum adeò pertinacem depulit; sed, quis est ille homo, qui dixit tibi, *tolle grabatum tuum.* Salutem impertuisse, beneficii gloriam evulgasset; lectum sabbathò præcipere tollere, ad speciem virtutem minuebat: illa ergo callidè omittunt, quæ gloriosa; illa sollicitè indagant, quæ videbantur obscura. Naxera in Jol. 2. §. 52.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu? Joan. 8. 48. Cur Judæi Jesum vocant Samaritanum? Rupert. l. 9. in Joan. pro eo, quòd apud Samaritanos bi-duo mansit, & docuit. Joan. 4. 40. ideò Dominum Samaritanum nuncuparunt. Oculos conjiciunt Judæi ad loquelam cum Samaritana; ut inde calumnientur: non tamen considerant mirabilem conversionem. Sylveira in Joan. 8. q. 11.

§. VII.

Obserua cum malis etiam bona.

Percussit statuam in pedibus ejus. Dan. 2. 34. Lapis testam tangens, & statuam evertens, sunt, qui corrigere nesciunt, nec cõer-

cere peccantes. Debueras sanè parcere testæ; quam ferrum, æs, argentum, & aurum, non solum tolerandam, sed pretiosam, in statua reddebant. Quis enim in tanta metallorum, copia testam rimetur? Sed esto; testam tange, si displicet in statua; sed ita eam frange, ut non totum pariter simulacrum comminuas: reprehende in iracundo furorem; sed non ideò prudentiam, scientiam, eloquentiam, nihili ducas. Parce tot virtutibus, dum uni non parcis vitio tot virtutibus coronato. - Putandi palmites in vite; sed viti parce: excutienda à paleis grana; non verò simul exure. Oliva l. 9. Strom. Percussit statuam &c.

Si proximum peccantem videris, non hoc solum ipsius considerabis; sed & quæ fecit, aut facit probè, animadvertes; per omnia expendens, & non particularia contrectans. S. Basilii conc. de humilitate.

Vultis scire vim torcularium nostrorum? ut unum dicam, unde & ipsi murmurant, qui ea faciunt: quantæ, inquit, rapinæ temporibus nostris? quantæ pressuræ innocentium? quantæ expoliationes rerum alienarum? ita sanè in amurcam attenditis, quia rapiuntur res alienæ: in oleum non attenditis; quia dantur, & propria. S. August. in Pl. 80. explicans titulum pro torcularibus.

TITULUS III. OBSTINATIO.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Num. 1.

Comparatur lapidi, petra &c.

Percuties virgâ bis siliem. Num. 20. 11. Heu Domine Deus! quàm durum est cor! non ab homine, sed à Deo; non tantum bis, sed centies, percussum est; & non emisit unam guttam, unam scilicet compunctionis lacrymam. S. Bonaventura l. 3. post D. Oct. Epiph.

Altare, altare. 3. Reg. 13. 2. Missus Propheta, ut sacrilegum regem converteret; relicto rege, sermonem convertit ad lapides dicens: *altare.* S. Chrysost. Proem. in Il. cum lapide verba facis? etiam: quando rex est, minus compos sensuum, quàm lapis. Et audit lapis; ipse lapis in scissuras diffractus est, & victimam effudit: homo ille non exaudivit. apud Bæza t. 2. l. 8. c. 3. §. 38. Eadem verba S. Chrysost. hic proem. priori in Il. apud Escob. Persecut. Chr. t. 2. l. 11. sect. 1. sic referuntur: lapidem alloqueris? sic: quoniam lapide ipsò insensibilior rex. Audi altare. Audis? hæc dicit Dominus. Atque illico altare scissum est lapisque audit: fractus est lapis, effudit libamen: quomodo non audit homo?

Cor ejus indurabitur tanquam lapis; & stringetur quasi malleatoris incus. Job. 41. 15. Incus, quantò magis percutitur malleo, tantò magis stringitur, & induratur.

Auferam eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Ezech. 11. 19. id est, non cor sine sensu; sed cor cum sensu. S. August. contra Faustum c. 4. Et lib. de gratia & libero arbitrio c. 14. quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum; cui, nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari. Et infra: cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem; & adversus Deum omnino inflexibile est. apud Cornelium hic.

Montes Israel, audite verbum Domini. Ezech. 36. 1. Quid vis divine vates? Loquere hominibus, non montibus. Ob Judæorum duriciam ad res insensibiles se contulit; ut homines multò illis insensibiliores esse significaret. Diez. Concionis auditor.

Contende iudiciò adversum montes. Michæ 6. 1. Citantur hic montes ut rei; eò quod in montibus erecta fuerint, & culta, idola. Licet enim populus propriè sit reus; tamen, quia is durus, & rebellis, nolebat audire prophetas, & per eos lites, & iudicium Domini; hinc citantur montes, in quibus populus peccarat. q. d. vos o montes insensibiles magis sensati estis, quàm sensibiles Israelitæ. Vos enim sentitis vocem, & iussum Dei